



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 17. De misericordia & iudicio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

cepto Dei verbo, in montana conscendit salutatura Elizabethā, quæ de benedicto fructu ei congratulata est.

5. Si Angeli (qui tamen alterius naturæ sunt, ad poenitentiam peccatoris gaudeant, quanto magis nos, de fratris nostri salute gaudere conuenit, & pro eadem procuranda laborare?

6. Nulli vnquam de salute consequenda desperandum, cum Christus pro eo, & tanta fecerit, & plura facere paratus sit; immo & Pater cœlestis, Angelique ipsi eum expectent, modo homo ipse, sibi non desit.



MEDITATIO XVII.
DE MISERICORDIA
ET IUDICIO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est, nolite iudicare, & non iudicabimini.* Luc. 6.

II. *Date & dabitur, &c. Eadem mensura remeietur vobis.*

III. *Quid vides festucam in oculo fratris; & trabem in oculo tuo non consideras? Eijce primum trabem, &c.*

PROPHETIÆ.

M*isericordiam volui & non sacrificium. Mic. 6.6*
Facere misericordiam & iudicium magis placet, Deo quam victima. Prou. 21

X

Qui 3.

Ibid. 2. Qui sequitur iustitiam & misericordiam, inueniet vitam, misericordiam & gloriam.

Isa. 33. 1. Iudiciū sine misericordia, ei qui non facit misericordiam, v. qui spernis; nonne & ipse sperneris? cum desieris cōtemnere, contēneris.

DOCUMENTA.

1. **S**ICUT optimorum filiorum est, vt parenti suo (si bonus sit) quam simillimū esse velint, ita bonos Christianos decet, quā proximè imitari patrem coelestem ac præcipue in misericordia erga inimicos, quos Deus, sæpè preueniendo, ac gratiam largiendo, cōuertit, & saluos facit.

2. Optimum item erga fratres caritatē offendere, neq; quenquam iudicare (si superior non sis) sed omnia in optimam partem interpretari; iudicando potius tua peccata ac cogitando

Ioan. 8. illud Christi, *qui sine peccato est, primus in eam lapidē mittat*, loquebatur de adultera quā Iudæi grauitè accusabāt, & occidi volebāt.

3. Hoc etiā vtilitatis, qui alium nō iudicat coniequitur, vt Deus (qui maximè misericors est, & filios sibi similes tenerrimè amat) ipi ignoscat peccata, & ne in alia incidat, eum sua gratia protegat, ac defendat.

4. *Date & dabitur vobis.* Deus tam liberalis est, vt eleemosynam, licet exiguam bono animo impēsam, vel opus aliud misericordiam, proximo propter Deum exhibitū sine mercede abire non permittat, sed vel spiritali vel temporali aliquo dono quā liberalissimè cōpēsēt.

5. *Mensuram bonam, &c. mensura bona,* sunt bona fortunæ, quæ Deus liberalibus cōcedit, *mens. coagitata, bonæ gratiæ,* quæ
mul.

MEDITATIONVM. 485

multis partibus excedunt pretium datae eleemosynæ; *mensura superfluens*, sunt bona gloria, quæ per opera misericordiæ meremur, & sine comparatione, omnia temporalia excedunt, & hominem omni ex parte beatum reddunt.

6. *Quid vides festucam?* amor proprius hoc facit, ut vitia nostra, quæ sunt aliquando maiora, instar trabis, vix in nobis agnoscamus, cum minora, quæ sunt instar festucæ, in aliorum vita ac moribus reprehendamus. Mortificandus itaque est hic amor proprius, & vera Caritas, *qua nõ iudicat quemquam*, in omnibus actibus ostendenda.



MEDITATIO XVIII.

DE IUSTITIA

PHARISÆORVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. Nisi abundauerit iustitia vestra *Matt. 5.* plusquam Scribarum & Pharis. non intrabitis in regnum cælorum.

II. Dictum est antiquis; non occides. Ego autem dico, ne irascaris fratri tuo. Nam qui irascitur, reus erit iudicio; qui dicit *raca*, concilio; qui dixerit *fatue*, gehenna.

III. Si offers munus ad altare, primum reconciliare fratri; tunc offer.

X 2

PRO.